



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolae per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Consid. de voluntate Dei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](#)

CONSIDERATIO  
DE VOLUNTATE DEI.

1. **I**acob Patriarcha tam copiosam à Patre suo benedictio-  
nem obtinuit, quia semel tantum cibum ei gratum ob-  
tulit; quid tu sperabis, si singulis ferè momentis Christo Pa-  
tri tuo cibum gratissimum voluntatis divina offeras?

2. Si illi, qui venenum timent, continuò theriacam su-  
munt; cur tu, ut adversa non noceant, non arripi voluntat-  
em divinam, quæ sola facit, ut in bonum omnia adversa  
convertantur?

3. Si verba illa: fiat mihi secundum verbum tuum: effe-  
cerunt, ut humanitas Christi verbo uniretur; cur tu eadē ver-  
ba dicere efficaciter non studes, ut cum tota SS. Trinitate  
per voluntatis tuæ cum divina unionem uniaris?

4. Si illi, qui in nuptrijs Cana Galileæ vinum per B. V. ob-  
tinere voluerunt, prius debuerunt, quid Christus  
dicebat, servare, & facere, cur non & tu, quidquid dixeris?  
Deus, libenter facis, ut vera laxitatem vinum obtineas?

5. Eadem voluntas est, quâ Deus pro te incarnari & mori,  
& esse in Sacramento, & te prædestinare voluit, cum eâ  
quâ te hanc afflictionem pati vult; cur ergo illam ut bo-  
nam amplecteris, hanc ut malam rejicis?

6. Quidquid tibi evenit, Deus infinitè bonus, sapiens &  
potens permittit, aut ordinat; cur ergo tu reprobas id, quod  
approbavit, & in quo divina attributa occupantur?

7. Qui vehitur navi, totum se Naucleri arbitrio permit-  
tit, ut eum in terram deponat; cur ergo tu Deo te non per-  
mittes, ut in cœlum te viâ, quæ ipsis placuerit, ducat?

8. Vel adversa tibi immitit propitius Deus, vel iratus.  
Si propitius, cur non consentes tuo bono, & gratias age?  
Si iratus, cur non cedis, ut mitigetur?

9. An non factus es ad gloriam DEI? cur ergo oblabo-  
res & dolores conquereris? an non in his æquè, imò melius  
fortè finem tuum obtinebis, quam in prosperis?

10. Si cœlum in altera vita tantopere appetis, cur non &  
in ista? cur ergo non unum vis cum Deo, ut, quod vis, sem-  
per habeas, atque adeò beatus sis?

11. Si optio daretur intellectum tuum cum Angelico intellectu permutandi; promptè id faceres; cur tergiversaris voluntate tua cum divina permutare?

## CONSIDERATIO

## DE VOLUNTATE PROPRIA.

1. Voluntas propterea si cesseret, infernus non erit, teste S. Bernardo, cur ergo tu clavem ad infernum non ultra abjicis?

2. Si facere voluntatem tuam malam tam dulce tibi videot, quād dulce erit illam relinquere, & voluntatem Dei facere, quā optima est, & non nisi optima velle potest?

3. Beati in cœlis sine ullo vestigio proprij velle, aut nolle vivunt, & tamen summam lætitiam habent; quis ergo durum dicat, voluntatem propriam abnegare?

4. Si in eo, in quo quis deliquerit, justè punitur, cur te, qui per voluntatem peccasti, non in voluntate quoque per abnegationem illius insigenter castigas?

5. Unusquisque fugientem Famulum sectatur, & in Jus suum afferit; cur tu fugientem voluntatem non insequeris, & ad Deum reducis, maximè cùm pluris interstis Dei, quād tuā, eam reduci?

6. Si Deus tibi omnipotentiam suam communicare vellet, an non odio haberet illum, qui te ab hoc beneficio impedit? cur ergo voluntatem tuam amas, quā impedit, ne idem cum Deo velle & posse habeas?

7. Si ad publicum rogum damniatus, privatim capite plementeris, an non hanc gratiam magni beneficij loco duceres, promptèque acceptares? cur ergo ob peccata tua ad æternos ignes damnatus, non libenter caput, id est, propriam voluntatem amittis, maximè cùm ob tale factū merearis æternū & beatè vivere?

8. Si Filium aut alium hominē, quēm in tua potestate haberes, à Directore ipſi dato malè regi videres, mox hoc remoto alium ei constitueres; cur ergo non & te ipsum adversens pessimè à propria voluntate regi, meliorem tibi directorem, nempe divinam voluntatem constituis?